



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1657

§. 4. Intrauit autem Satanas in Iudam qui cognominabatur Iscariotes vnum
de duodecim. v. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

ne quandoque reuelentur peccata mea graua & confundat coram omni populo Dei. Tu Iesu potentissime qui dixisti qua hora conuersus fuerit peccator omnium iniquitatum eius non recordabor, da gratiam vt in reuelatione illa extrema iudicij non confundat. Timeam nunc, vt non timeam tunc.

§. 4. *Intrauit autem Satanas in Iudam qui cognominabatur Ischariotes vnum de duodecim. v. 3.*

Quia miserat diabolus iam sagittas auaritiæ & impietatis in cor Iudæ, quas improbus acceptauerat tanquam sibi conuenientes, dato consensu iam intrauit Satanas in cor Iudæ. Ischariotes autem nominat Euangelista cum vt ab altero eoque sancto Iudæ Thadæo illum separet velut scabiosam ouem à sana, ne huic afficeretur illius languor: Ischariotes autem dictus videtur ab oppido Ischariotes quod erat in tribu Ephraim, vt loquitur S. Hieron. vnum de duodecim, insinuando si inter duodecim Apostolos vnus inuentus reprobus, sequens diaboli suggestiones, sanè nobis in timore standum est continuo & vigiliam dum ne incautos circumueniat, & ad lapsus similes inducat de quibus auertat nos omnipotens in cuius fide & custodia stamus vermiculi terræ nescientes an odio vel amore digni simus.

Omnipotens & misericors Deus vniversa nobis aduersantia propriatus excludit, vt mente & corpore pariter expediti quæ tua sunt liberis mentibus exequamur: sed & mentes nostras in prædestinatione tua examinando compesce, vt contenti agere bene, tua iudicia, cur hic stet, alter cadat non examinemus, scientes te esse & patrem misericordiarum, & iudicem iustum.

§. 5. *Et abiit & locutus est cum principibus Sacerdotum & Magistratibus quemadmodum traderet illum. v. 4.*

Possessus à diabolo scilicet Iudas Ischariotes recessit tacens de Bethania, & venit Hierusalem ad concilium in domo Caiphæ, discipuli autem alij manserunt cum Christo in Bethania, non scientes quid Iudas maledictus intenderet, quia cum procurator Collegii esset, simpliciter credebant quod ex officio Hierusalem festinaret vt sapius fecerat. Hac vice tamen falso & insidiose gressus direxit in Hierusalem, vt faceret mercantiam pessimam scilicet vt venderet Christum Dominum suum. Et cum intrasset locum vbi erant omnes persecutores Christi in concilio congregati, locutus est cum Principibus Sacerdotum, & Magistratibus quemadmodum villet tradere eum illis pacta pecunia & pretio, dicens, quid vultis mihi da-

re &